

dimento. Barbosa, loc. cit., n. 31 et alii. Hinc est, quod ad dispensationem impetrandam sæpe, et merito pro causa allegari solet legitimatio prolis, casu quo imprægnata aliquo impedimento dirimente laborat respectu imprægnantis.

42. *Legitimati per subsequens matrimonium in effectu per omnia sunt æquales legitime nati.* — Quæritur IV. Qui sint effectus legitimati per subsequens matrimonium? Resp. Effectum hujus esse varium et multiplicem, eo quod ita legitimati per omnia æquiparentur legitime natis, consequenter æque ac isti debeant institui hæredes, succedant in hæreditate, sint habiles ad ordines, et dignitates tam sæculares, quam ecclesiasticas. Glossa in c. *Tanta*, h. t., l. *Cum quis*, 10, de *Natural.*, lib. Novell. 74, cap. II, § 2, *Instit. de Hæredit. ab intest.* Ratio est, quia, ut ait Glossa, subsequens matrimonium omnia præcedentia purgat.

43. *Potestque illis dari attestatio Geburts-Brief, quod sint legitime nati.* — Hinc advertit etiam Richter, p. II, decis. 80, n. 17, ita legitimatos venire quoque in dispositione hominum et statutorum volentium, quod quis debeat esse legitime natus; posseque taliter legitimatis dari litteras natalitias, *Geburts-Brief*, testantes, talem esse ex honestis parentibus et legitimo thoro, abstrahendo, quod primum per subsequens matrimonium sit legitimatus.

44. *Ad cardinalatum tamen non admittuntur.* — Limitatur tamen primo conclusio in dignitate cardinalitia, utpote ad quam legitimati per subsequens matrimonium sunt inhabiles ex speciali dispositione Sixti V, quæ incipit: «*Postquam verus.*»

45. *Attendenda etiam est loci consuetudo.* — Limitatur secundo in locis et provinciis, in quibus introducta habetur consuetudo contraria, qualem in nonnullis provinciis vigere, in citata bulla testatur Sixtus V, dicens: taliter legitimatos in quibusdam provinciis, et dominis, vi consuetudinis, vel etiam statutorum particularium, nobilitatis privilegiis non gaudere, nec ad sæcularia officia, honores ac dignitates, neque ad nobilium feudorum, et statum successionem admitti.

46. *Legitimatio per rescriptum principis, quid?* — Quæritur V. Quid sit legitimatio per rescriptum principis? Quinam item? et quos legitimare possint? Resp. I. Hæc legitimatio est actus graciosus, quo ex illegitimo facit legitimum ille, qui ita legitimare potest.

Est in re communis, patetque ex terminis.

47. *Solus Papa, non item episcopus legitimare potest quoad effectus ecclesiasticos.* — Resp. II. Papa, et quidem solus legitimare potest illegitime natos, quoad ordines, honores, dignitates, ac beneficia ecclesiastica. Communis ac certa, textu claro. c. *Venerabilem*, 13, h. t. et ibi doctores communiter. Ratio patet; quia, cum illegitimi ad præfata incapaces sint solo positivo jure ecclesiastico; in hoc autem Papa, et quidem solus dispensare valeat, per dicta lib. I, tit. II, de *Constit.*, § 18, probata manet conclusio.

Nec obstat, quod episcopus, ac etiam capitulum sede vacante, possint illegitimos habilitare ad ordines minores, et ad beneficia simplicia, c. 1, de *Filiis presbyt.*, in 6. Resp. enim, eos id facere non per legitimatiōnem, sed per dispensationem in puncto hoc eisdem concessam; unde etiam dispensati hujusmodi non habent reliquos legitimatiōnis effectus.

48. *Etiam quoad effectus politicos potest Papa legitimare illos, qui in suo territorio temporali subditi sunt.* — Resp. III. Papa etiam quoad effectus politicos, successionem v. g. hæreditariam, honores, et dignitates temporales legitimare potest illos, qui in illius territorio temporali existentes, ejusdem jurisdictioni immediate subsunt. Omnes, textu expresso cit. c. *Venerabilem*, 13, h. t., quia, cum in illo territorio superiorem in temporalibus non agnoscat, etiam quoad ista cum subditis suis disponere, et leges de illis ibidem latas relaxare potest, arg. c. 1, de *Reg. jur.*

49. *Alias autem quoad hos effectus legitimare ordinarie non potest.* — Resp. IV. Illegitimos vero suæ jurisdictioni temporali non subiectos, ordinarie ac directe non potest, nec solet papa legitimare quoad effectus temporales ac politicos. Abbas, in c. *Venerabilem*, 13, h. t., n. 15, et ibidem Joan. Andreas, Butrius, et alii, item Pontius, lib. XI, cap. v, n. 6; Covarruvias, de *Matrim.*, part. II, cap. viii, § 8, num. 43 et seqq.; Sanchez, lib. VIII, disp. 7, num. 1, dicens esse verissimam, et receptissimam sententiam, contra Barbosam, in cit. c. *Per Venerabilem*, h. t., n. 3, et Rotam ibidem allegatam, Hostiensem, et nonnullos alios. Ratio patet; quia Papa jus civile in illo, in quo non fovet peccatum, nec adversatur bonæ gubernationi Ecclesiæ, aut aliis bonis spiritualibus, tollere vel abrogare non potest, nec dispensare in

eo, arg. can. *Cum ad verum*, 6, dist. 96, at qui dispensationes juris civilis quoad præfatos effectus non adversantur bonæ gubernationi Ecclesiæ, nec peccatum fovent, sed potius persequuntur. ut patet, ergo.

50. *Bene tamen extraordinarie, urgente v. g. communi necessitate aut causa ardua.* — Dicitur autem regulariter; quia in casu extraordinario, et ubi communis necessitas, vel alia causa ardua urgeret, etiam ad temporalia quemvis suæ jurisdictioni temporali non subditum illegitimum a Papa legitimari posse, præfati doctores et omnes alii concedunt, patetque clare ex cit. c. *Per Venerabilem*, 13, h. t., § *Rationibus igitur*, ubi causam subjungit Papa illis verbis: «*Quod non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.*»

51. *Sicut etiam indirecte, ac in radice matrimonii: et quomodo?* — Ulterius quemvis etiam quoad effectus politicos legitimare potest papa dispensando in radice matrimonii; dum nempe dispensando facit, ut matrimonium ab aliquibus invalide contractum, tanquam legitimum habeatur etiam pro tempore, quo invalide contractum fuit: consequenter et proles ex illo progenitæ legitimæ reputentur, Barb. in cit. c. *Per Venerabilem*, 13, h. t. n. 4, et ibi Abbas, n. 21; Joan. Andreas, n. 30; Covarruvias, loc. cit., n. 10 et seqq.; Pontius, loc. cit., n. 9, et latissime Sanchez, lib. VIII, disp. 7, cum communi aliorum, et Rota, quam repetitam allegat Barbosa contra Perez de *Matrim.*, disp. 44, sect. 5, n. 9 et paucos alios. Quoniam vero casus de hoc in praxi vix occurrunt, materiam et controversiam hujus num. ulterius non prosequimur; vide de illa apud doctores citatos.

52. *De jure loquendo inter sæculares, soli principes supremi superiorem non agnoscentes possunt legitimare.* — Resp. V. Loquendo de jure communi; inter sæculares, omnes et soli supremi principes superiorem non agnoscentes (quales sunt imperator romanus, et reges) in suis territoriis legitimare quoad effectus politicos possunt suos subditos illegitime natos. Abbas in c. *Per Venerabilem*, 13, h. t., n. 23; Pontius, lib. XI, cap. v; Konig, h. t., n. 32, cum communi. Ratio est, quia, cum supremi principes leges omnino abrogare, et novas condere possint,

arg. l. *Disputare*, 3. C. de *Crimin. Sacrileg.* et L. 5. C. de *Divers. Rescript.* utique etiam ordinare possunt, quod leges suæ contra illegitimos late hunc vel illum non ligent. Quod autem hi soli legitimare valeant, ratio est, quia inferiores in lege superioris dispensare nequeunt, per vulgaria: unde præfati doctores cum Baldo, in l. I, pr. ff. de *Jure aure. anul.* observant legitimandi potestatem esse unam de reservatis supremo principi, arg. Novell., 89, cap. ix, et l. III, ff. de *Natural. restit.*

53. *De consuetudine id possunt etiam electores, ac reliqui status imperii.* — Dicitur autem notanter loquendo de jure communi; quia ex consuetudine etiam electores, et cæteri status romani imperii subditos sui territorii legitimare valent; etsi principes supremi alium superiorem non agnoscentes dici nequeant, utpote qui imperatorem pro superiore suo agnoscunt. Sam. Strinck in *Usu moder. Pandect.* ad Tit. *De His, qui sui, vel alieni*, § 14 et alii; Konig, h. t., num. 38.

54. *Ex privilegio item comites palatini.* — Pariter legitimare possunt illi, qui etsi supremi principes non sint, ab his tamen privilegium et facultatem legitimandi habent, quales sunt comites palatini, juxta unanimum. Quanta autem horum sit potestas, et ad quos illegitimos se extendat, desumendum est ex tenore Rescripti, aut privilegii a supremo principe eis concessi, ut cum aliis bene advertit Pontius, lib. XI, cap. v, § 2, juxta solum enim tenorem Rescripti, et non ultra, eorum potestas se extendit, arg. c. *Dilecta*, 22; de *Rescript.*, et l. *Diligenter*; ff. *Mandati*.

55. *Et legati Sedis apostolicæ.* — Porro sicut imperator comitibus palatinis, sic Papa suis legatis concedere solet facultatem et privilegium legitimandi. Cujus efficacia ex tenore quoque rescripti petenda est per dicta num. præced. teste Azorio, tom. II, lib. V, cap. xxx, q. 1; Pont., loc. cit., num. 16. Legatis apostolicæ sedis ordinarie conceditur privilegium sequentis tenoris:

«*Concedimus, ut super natalium, etiamsi ex adulterio, incestu, vel nefario, aut quocunque illicito coitu procreati fuerint, defectibus dispensare, ut quæcunque, quodcunque, qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, sæcularia, et regularia invicem compatibilia, etiamsi sæcularia, canonicatus, et præbendæ, et si ex*

nobili genere procreati fuerint, etiam majores, et principales personatus, et officia in cathedralibus, metropolitanis, collegiatis ecclesiis, et in illis in quibus ditorum, patientium defectum natalium patres beneficium obtinuerint, dum tamen illis immediate non succedant, et quod de natalium defectibus hujusmodi nullam in quibuscunque litteris, et gratis sibi concedendis mentionem facere teneantur, indulgere valeas.»

56. *De jure non nisi naturales illegitimi, de consuetudine autem omnes illegitimi, rescripto principis legitimantur: etsi privilegio etiam per legatos et comites palatinos.* — Resp. VI. Quamvis de jure, et nisi aliud exprimat in legitimationis rescripto, per rescriptum principis soli legitimentur illegitimi naturales, non item ex damnato coitu nati, arg. c. *Per Venerabilem*, 13, h. t. et novell. 74 et novell. 89. Tamen potest supremus Princeps, si vult, quosvis, etiam ex damnato coitu natos legitimare. Omnes, per jurata citata. Imo de facto etiam quemvis illegitimum legitimare solent supremi principes; ita ut Papa suis legatis quoque, et imperator nonnullis comitibus palatinis eadem facultatem, tribuant ut patet ex formula num. præced.

57. *Comites palatini non possunt legitimare liberos nobilium.* — Porro licet comitibus palatinis plena concedatur facultas legitimandi quoscumque, etiam natos ex damnato coitu, tamen per hanc non censetur concessa facultas legitimandi illegitimos nobilium, nisi in rescripto cæsareo exprimat. Etsi id exprimat, non se extendit ad legitimandas illegitimas proles baronum, comitum, etc. Nolden, *de Statu. Nobil.*, cap. xvi, th. 15, patet ex *Capitul. Leopold.*, art. 44.

58. *Legitimatio per Papam facta reddit habilem ad effectus ecclesiasticos et politicos.* — Quæritur VI. Quos effectus habeat legitimatio per rescriptum principis? Resp. I. Si legitimatio fit a papa, efficit quemvis legitimatum habilem ad ordines, dignitates, officia et beneficia ecclesiastica per dicta num. 47, simulque ad effectus politicos, num. seq. adducendos, si legitimatus est etiam sub jurisdictione temporali Papa, secus si non est, per dicta nu. 58 et seq.; Abbas, in c. *Per Venerabilem*, h. t., n. 20.

59. *Facta a sæculari non nisi sæculares et politicos habet effectus; et quos?* — Resp. II. Si legitimatio fit a principe sæculari, aut comite palatino, efficiuntur legitimationi impri-

mis habiles ad legitimam et hæreditates, non tamen ita perfecte, ut legitimationi per subsequens matrimonium; sed cum certis limitationibus juxta dicta lib. III, tit. XXVI, n. 412 et tit. XXVII, num. 11 et seqq. Deinde evadunt habiles ad dignitates et officia sæcularia quæcumque, nisi ex consuetudine, vel speciali statuto particulari locorum requiratur, ut quis sit legitime natus; ob quod rescripto principis legitimationi nequeunt esse assessores in camera imperiali, nec consilarii principum, nec insigniri titulo doctoris, Mysing, 4, observat. 31, nec recipi ad certos ordines, ut nostrum seraphicum, cum juxta statuta nostra generalia, cap. II, § 1, n. 1, suscipiendus debeat esse legitime natus.

60. *Legitimationi rescripto principis non possunt vocari legitime nati, nec comprehenduntur in statutis hominum, bene vero legitimationi per subsequens matrimonium.* — Ubi præter alia speciale nota discrimen inter legitimatos per rescriptum principis, et legitimatos per rescriptum principis; illi enim per omnia æquiparantur legitime natis, et etiam legitime nati vocari possunt, comprehendunturque in statutis hominum requirentibus, ut quis sit legitime natus, per dicta nu. 42 et 43. Non sic legitimationi per rescriptum principis.

61. *Ut legitimatio per rescriptum principis hos habeat effectus, certe requiruntur conditiones: et quæ?* — Resp. III. Ut legitimatio per rescriptum principis memoratos effectus habeat, plures requiruntur conditiones. I. Est, ut illegitimi consentiant, Novella 89, cap. xi. Generaliter autem sufficit consensus tacitus, qui silentio etiam indicatur. Zoesius h. t., nu. 26, arg. c. *Qui tacet. de Reg. jur.*, in 6. II. Ut nulli extent liberi legitimi, ne his præjudicium causetur, novell. 74, cap. I et II. Et quamvis princeps de plenitudine potestatis etiam legitimis extantibus possit legitimare illegitimos; tamen in dubio interpretandum est, eum non intendisse; nam beneficia principum ita interpretari oportet, ut quam minimum præjudicent juri publico, aut privato juri tertii, Felinus, in c. *cum olim. de Sentent. et re judicat.* Zoesius, loc. cit., et alii.

62. Ubi iterum aliquod discrimen notandum est inter legitimationem per subsequens matrimonium, et rescriptum principis. Per matrimonium enim illegitimi legitimationi extantibus etiam, et contradicentibus liberis legitimis, ut communiter advertunt

doctores non sic per rescriptum principis.

63. III. Requiritur, ut illegitimus per subsequens parentum matrimonium, aut omnino non, aut saltem non commode legitimationi valeat, Novell. 74, cap. I. Ratio est, quia legitimatio censetur esse remedium extraordinarium, quod cessat, ubi haberi potest ordinarium, l. XVI, ff. *de Min.*

64. IV. Requiritur alias de jure, ut vel illegitimi pater libello supplici legitimationem exoret, vel patre jam mortuo id faciat ipse illegitimus; probans prius ex patris testamento, eum id desiderasse, Novella 74, cap. II § 1, et Novell. 89, cap. IX, § 1, et cap. X. Verum hodie universalis consuetudinis vigore sufficit etiam sola simplex instantia illegitimi, Samu. Strichk, loc. cit., § 18.

65. *Legitimatio per rescriptum principis facta non habet effectus quoad spiritualia.* — Resp. IV. Legitimatio quantumvis ampla rescripto principis sæcularis facta, penitus nihil valet quoad effectus ecclesiasticos, ordines, v. g. officia, et beneficia ecclesiastica. Covarruvias, *de Matrim.*, part. II, cap. VIII, § 8, n. 15; Abbas, in c. *Per Venerabilem*, h. t. et alii. Ratio patet: quia princeps sæcularis nullam habet potestatem circa spiritualia, nec potest in lege ecclesiastica dispensare, per vulgaria.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

1. *Ratio continuationis.* — Rectus ordo est, ut, postquam in præcedentibus actum est de matrimonio, et impedimentis ejus, agatur tunc de iis, qui matrimonium accusare, aut impugnare possint, et debeant, casu quo forsitan inter conjuges impedimentum foret. Et quoniam accusatio sine probatione non sufficit, agitur etiam de testibus ad probandum habilibus et requisitis.

2. *Matrimonium contrahendum existente impedimento accusare quis potest, ac tenetur.* — Notandum prius, accusari, et impugnari posse matrimonium tam contrahendum, quam contractum. Et quidem si impugnatur contrahendum, certum est, quemvis non tantum posse, sed et teneri matrimonium

accusare denunciando impedimentum inter sponsores existens, juxta dicta supra tit. III, n. 49. H. N.

3. *Soli conjuges matrimonium accusare possunt, quod censetur nullum ex defectu impotentie alterutrius.* — Quæritur I. Quinam, et quando matrimonium jam contractum accusare, aut impugnare possint, et debeant? Resp. I. Si accusatur aut impugnatur matrimonium tanquam nulliter contractum ob impotentiam alterius conjugum v. g. ob frigiditatem viri, aut arctitudinem feminae, maleficii, etc. soli ad accusandum admittuntur conjuges. Abbas, ad Rubr., h. t.; Pirhing, eod. num. 1, et alii. Ratio est quia horum solummodo interest, et ipsi possunt, si velint, non obstante tali impedimento suo juri, quod ad accusandum habent, cedere ac invicem cohabitare, non quidem ut conjuges, sed ut frater et soror, juxta dicta supra tit. XV, n. 62, textu expresso c. *Consultationi*, 4. et c. *Laudabilem*. 5. *de Frigid. et Maleficiat.*, juncto can. *Requisivisti*, 2. cau. 33. q. 1.

4. *Vel ob impedimentum, quod ipsi tollere possunt.* — Resp. II. Pariter soli admittuntur conjuges ad accusandum, casu quo matrimonium est nullum ex tali impedimento, cui conjuges possunt renuntiare, ut puta, ex impedimento gravis metus circa ipsam personam, aut conditionem, et statum ipsius, ut si quis contraxit cum serva, quam putavit esse liberam, aut contraxit cum Lucia quam putavit esse Romeliam. Abbas, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Honor, ad Rubr., h. t., n. 8; Gonzalez, in c. *fin.*, h. t., n. 3. Ratio est; quia hoc ipso, quod ipsi juri suo renuntiare, et tale impedimentum tollere, novoque consensu matrimonium ratificare valeant, idque re ipsa facere præsumantur, si conscii impedimenti præcedentis cohabitant, arg. c. II, et c. *fin. de Conjug. servor. c. Insuper*, 4, h. t., frustranea foret aliorum accusatio.

5. *Imo nec ipsi audiuntur, si cognitio tali impedimento se invicem cognoscunt.* — Imo præfato casu, ubi conjuges solo consensu suo mutuo impedimentum tollere, et matrimonium ratificare valent, ipsimet non amplius audiuntur, si post acquisitam impedimenti notitiam, adhuc carnaliter invicem se cognoscunt, ut bene advertit Gonzalez, loc. cit. per jura allegata. Ratio est; quia matrimonium novo consensu ratificasse, et consequenter inseparabile effectuisse, de jure præsumuntur.